1668

33, 35

SUPREMI ARCHIATRI FAVENTE GRATIA!

DISSERTATIO MEDICA

De

ΥΣΤΕΡΟΜΑΝΙΑ,

Quam

Illuſtris ac gratioſæ Facultatis Medicæ
conſenſu & autoritate,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Excellentiſſimi atque Experientiſſimi

DN. JOHANNIS ARNOLDI FRIDERICI, Philoſ. ac Medic. Doctoris, Anatomes, Chirurgiæ, ac Botanices Profeſſ. Publ. meritiſſimi, Medici Provincialis Saxo-Altenburgici, Facultatis hodiè DECANI Spectatiſſimi,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris omni honoris & reverentiæ cultu, Parentis inſtar, æternùm devenerandi.

publico ac placido philiatrorum examini ſubjicit

JOHANNES CASPARUS Heim/

MEINUNGA HENNEBERGICUS,

AUTOR & RESPONDENS.

IN AUDITORIO MEDICO

Ad d. 1. Februar. ANNO M. DC. LXVI.

Horis Conſuetis.

JENÆ, LITERIS NISIANIS.

64.

PROOEMIUM.

Præ reliquis, corpori muliebri quæ contingere ſolent ægritudinibus, & illæ cognitu neceſſariæ ſunt, à quibus uterus, nobiliſſimum naturæ muliebris fundamentum ſæpiùs divexatur atque tentatur. Ut enim omnium aquarum confluxus in Oceanum, ſic excrementitiarum humiditatum impuritatumq; abundantiæ impetus fertur ad uterum. Hinc ex illô tanquàm perenni fonte morbos emanare monſtroſos, lernæos, & ſæpenumero herculeâ clavâ nullatenus ſuperabiles notum, imò tàm horrendos interdum, ut uterina hæc mala ab incantationibus vix dijudicari queant. Gravitatem eorum indicat *Hippocrates lib. de loc. in homine* : Τὰ γυναικεῖα, inquit, νοσήματα τὰ καλεόμενα αἱ ὑστέραι, πάντων τῶν νοσημάτων, αἴτιαι, *morborum omnium, qui muliebres vocantur, uteri in causâ.* Et elogio *Democriti libr. de humana nat.* Uterus δεινὸν ἄγγος τῶν ἐν γυναικὶ μόχθων παραιτίη. *Vehemens malum & infinitarum ærumnarum in muliere cauſa eſt.*

Ex incommodis hactenus enumeratis, ſuum haurit principium FUROR UTERINUS, affectus moleſtiſſimus, graviſſimisque affligens corpus muliebre ſymptomatibus, adeò, ut optimis interdum, altas ſi egerit radices, reluctetur medicamentis. Conſtitutum itaque mihi eſt, genuinam pernicioſiſſimi hujus affectus naturam delineare, ejus cauſas explicare, curationem proponere, & publicæ & placidæ Φιλιατρῶν ἐξηγήσει exponere. Tu verò DEUS Ter Optime Ter Maxime clementer noſtris annue cœptis.

CAPUT I
nominalem definitionem exhibet.

Operoſam NOMINIS enodationem parùm aut nihil ad curandi ordinem & methodum, affectionumque præternaturalium ex corpore noſtrô extirpationem conferre, in aprico eſt. Medicus enim, verè *Galen. 1. meth. med. 7.*, non vocabulorum enucleatione, ſed accuratâ morbi cognitione & curatione, non verbis, ſed herbis ſuum aſſequitur finem. Verùm ne ignotâ, ut dici ſolet, verſemur viâ, nominis Ετυμολογίαν, Συνωνυμίαν, Ομωνυμίαν declarabimus. Nomen enim nota rei, quæ nobis plurimùm ad clariorem rei demonſtrationem prodeſt. Nam nervosè præcipit *Galen. 1. m. m. c. 5.* ἐπὶ πάντων ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τοὔνομα: *in omnibus de quibus queritur, ad rationem oportet adſumi ipſum nomen.*

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΑΝ quod attinet, dicitur præſens affectus FUROR UTERINUS à *Furo*, vehementi ſymptomate rationis læſæ, parteque primariò affectâ originem trahens, quod ex uteri vitiô, per συμπάθειαν ejus cum cerebrô animus turbatus ſit, & ratiocinatio depravata, *teſte Huchero lib. 2. de ſterilit. mul. idiopath.* Hinc virgines, viduæ juniores; ac fœminæ affectu hoc correptæ, præ nimiâ coëundi cupiditate quaſi inſanientes & ad furorem adactæ videntur.

Græci ὑστερομανίαν ab ὑστέρα *uterus*, & μανία *furor*, cum mens tranquillitate & conſtantia vacua eſt, derivant. Nomen eſt à maniis, hoc eſt larvis, lemuribus, mormonibusque: vel à μανὸν, demiſſum & molle denotans, quod animum ultra modum laxet: vel à μονοῦσθαι, quod ſolitudinis ægrotos amantes faciat: vel quia difficulter curetur, à μωνία deſumi docet *Heurn. cap. 13. de morb. capitis.*

ΣΥΝΩΝΥΜΙΑΝ quod concernit, à variis ſingularia huic affectui adſignantur nomina. *Latinis* multis *Mania uterina* audit; Furi-

Furibundâ ſiquidem coëundi cupiditate correptæ mulieres maniacarum adinſtar inſaniunt. *Nymphomaniam* dicere non erubeſcunt multi, à Græcis voculam hanc mutuantes, quibus νυμφομανία dicitur, quia clithoris, quæ νύμφη ipſis eſt, potiſſimùm in hoc affectu laborat, & quatenus intumeſcit, ad ejus generationem concurrit.

Exin etiam factum judicamus, ut veterum ſcriptorum nonnulli nomina, quæ aliàs clithoridi attribuuntur, huic affectui, quamvis minus propriè, uti nervosè annotavit *Sennert. l. 4. prax. part. 2. ſect. 3. cap. 5.* impoſuerint. Sicuti ab *Avicennâ lib. 3. cap. 21.* Albathara, hoc eſt, virga. *Albucaſ. l. 2. c. 71.* Tentigo. *Colum.* dulcedo amoris. *Aliis* penis muliebris, contemptus virorum nuncupatur. Satyriaſin à ſimilitudine dixit *Soranus*, Priapismum *Moſchio.* Sed ſynonyma hæc ab autoribus jam recitata cum Furore noſtrô uterino non conveniunt, & potiùs alius morbi titulum merentur.

Præterea *Græcis* Μητρομανία, & ut jam monuimus νυμφομανία, *Sebizio part. V. ſect. 2. cap. 13.* κλειτορὶς etiam audit.

Germanis die begierde oder Jucken der Mutter / die Mannſucht / die Tobſucht der Weiber.

ὉΜΩΝΥΜΙΑ ſi conſideretur, Furor uterinus ſumitur *propriè* & *impropriè*. *Propriè* ſi intelligitur, competit noſtro, de quô jam ſumus prolixiùs acturi, affectui, ex veneris deſideriô dependenti. *Impropriè* ſumitur, ſi Furor uterinus appellatur ille uteri aſcenſus, qui exoritur, ſi ad ſuperiora tendit, vapores vitioſi ab eô ad caput aſſurgunt, illudque gravant, ex quibus leves fiunt furôres ac deliramenta: ſicut & illud delirium ſeu furor ex uteri ſtrangulatû atque inflammatione.

CAP. II
definitionem realem proponit.

PRæmiſsâ atque explicatâ ὀνοματώδει definitione, realem, in quâ ipſius rei nucleus occurrit, ventilabimus.

DEFINITIO *à Nobiliſſimo Dn. PRÆSIDE, Patrono ac Præceptore filiali cultu æternùm colendo in prælect. publ. de affect. uterinis*, propoſita nobis arridet:

FUROR UTERINUS eſt *immodica, inexplebilis atq; inſatiabilis coëundi appetentia in mulieribus, cum delirio aut furore, & pruritu genitalium immoderato orta; ab humoribus, exhalationibus & vaporibus fervidis ac putridis ab uterô intemperatô calidô aſcendentibus, cerebrumq; petentibus.*

Formalis ratio obtinet GENERIS locum, quam *immodicam, inexplebilem atq; inſatiabilem appetentiã coëundi* diximus, qui appetitus naturalis ſenſitivum ſtimulat, qui etſi à ratione corrigi & ſupprimi deberet, attamen cùm ingens nimis ſit, ratio ſuccumbit, vincitur, deliriumque excitatur, ut fœminæ omnis honeſtatis oblitæ, obſcœna loquantur, appetant, & ſi poſſint perpetrent, *autore Sennert. lib. 11. prax. part. 2. ſect. 3. cap. 5.*

Cum deliriô aut furore hanc coëundi appetentiam conjunctam diximus, quò à pruritu, tentigine genitalium, Priapismo ac Satyrismo, quæ ſine furore ſunt, diſtinguatur. Derelinqvunt tales ægræ rectæ rationis dictamen, & in principio, ubi ob ſcintillulas verecundiæ adhuc reſiduas, manifeſtare deſideria non ſtatim audent, taciturnæ ingemiſcunt, ſolæque obſcœna & cogitant & peragunt, delirantes potiùs quàm furientes. Mox dum augetur malum, plenarias laſcivo deſiderio concedunt habenas. Impudica liberè nullis obſervatis adſtantium conditionibus, aliisve circumſtantiis, loqvuntur, & in propriis corporibus exercent. Viros appetunt, iisque non rogatæ ſe ſupponunt, inſectantur eos furibundæ, ſi voti compotes non fiant, vi pertinaciter obtinere intendentes, quod rogatu aſſequi non valent.

Hæc amens appetentia tantùm ſæpè valet, ut corporis ac animæ ſolutionis terminum anticipando, ſibimet ipſis violentas manus inferant miſeræ. Teſtis eſt *divinus Senex, qui libr. περὶ παρθενίων*, de hoc affectu diſſerens, & cauſas ſymptomatum in eô obvenientium demonſtrans ſubnectit. Ἔπειτα δὲ καὶ φοβερὰ ὀνομάζει, καὶ κελεύουσιν ἅλλεσθαι καὶ καταπίπτειν ἐς τὰ φρέατα καὶ ἄγχεσθαι. *quin etiam alium horrendum modum appellat & in puteos deſilire ac præcipitare, ſeq; ſtrangulare jubent.*

Ab hu-

Ab humoribus exhalationibus ac vaporibus fervidis ac putridis ab uterô intemperato calido aſcendentibus, cerebrumq; in conſenſum trabentibus oriri dictam amentiam poſuimus. Nervoſa ſiquidem uteri ſubſtantia cum cerebrô communicat, & mediantibus tàm nervis, quàm venis ac arteriis vitium defert.

Læduntur autem in cerebro inter functiones animales *Ratiocinatio* ac *Phantaſia*. Laborant non *abolitè*, utraque ſiquidem adeſt, licet corruptè; nec *imminutè*, aliàs adeſſent rectè & naturaliter ſe habentes, licet ſint debiles. Sed afficiuntur *depravatè*. Eſt depravata ratiocinatio, appetunt enim & ſeqvuntur ægræ ea, quæ rectæ rationis normæ contraria. Depravata phantaſia, talia enim ſibi imaginantur, quæ pravo appetitui bona apparent, & adeò pertinaciter ſubſiſtunt, ut ſummum bonum ab iis, ſi aſſequantur expectent.

Dicta ergò dum perpendimus, facilè apparet, affectum hunc ad tertiam rerum præter naturam claſſem, *ſymptomata* ſcilic. eſſe referendum. Hæc autem cum triplicis generis ſint, actionum læſarum, qualitatum mutatarum, excretorũ & retentorum, *in genere actionum læſarum tàm naturaliũ quàm animalium* affectũ noſtrum locabimus. Si enim coitûs appetitus depravatur, liquidò conſtat, naturales offendi operationes: cùm lædatur cogitatio, animalem quoque lædi functionem perſpectum habemus. Immoderata ergò libido ad naturalem præcipuè, depravata in venereis imaginatio, ad animalem ſpectat facultatem.

CAP. III
ſubjectum inveſtigat.

MEdicum noſſe quô morbô quis laboret, non ſufficit, ſed cognitum habeat oportet, in quâ parte & quô locô ſit, ut medicamenta iſti ritè applicare poſſit. Operæ igitur pretium erit, ut de SUBJECTO hujus mali ſimus ſolliciti, tàm primarium, quàm ſecundarium conſideraturi.

PRIMARIUM ſeu focum, ubi minera ſtabulatur, UTERUM cum partibus, in quibus venerei ſtimuli urgent, cum *Roderico à*

Caſtro

Caſtro lib. 2. cap. 10. de morb. mulier. ſtatuimus: Locus, *inquit*, primariò affectus uterus eſt, ac ejus partes, in quibus viget appetitus, ut ſunt teſtes, & proceſſus ille, quem delectationis ſedem ſtatuimus. Cum quô etiam convenit, & eandem opinionem videtur fovere *Mercatus lib. 2. cap. 10. p. 583. de virg. & viduar. affect.* Morbum, *inquit*, Aëtius calidam uteri diſtemperiem jure optimo cenſet, quam ego non qualemcunque eſſe, ſed excedentem, & ferè habitualem, & cum hoc malignam. Quam quidem diſtemperiem in eâ parte reſidere eſt conjectandum, in quâ maximè appetitus viget, inſtar Priapismi in viris. Nam licet tota uteri ſubſtantia naturalem habeat attrahendi ſemen appetitum, teſtes tamen ipſius, & partes ſibi proximas, ac denique univerſum uteri collum, & potiſſimùm ejus oſculum appetitu coëundi pollere, ac eô delectari certum eſt.

Aſſerto citatorum autorum ac noſtro patrocinatur autoritas *Hippocratica lib. περὶ παρθενίων, ſeu de iis, quæ ad virgines ſpectant*, explicata, ubi longa ſerie, & copioſô verborum apparatu, hîc ob pagellarum defectum non adducendo oſtendit, uterum principalis ſubjecti vicem jure hîc ac meritò gerere.

Non afficitur autem ſolùm uterus *quoad fundum*, quatenus ille à ſanguine fervidô accenſus, & acribus ac calidis vaporibus repletus; ſed præcipuè *quoad cervicem* ſeu vaginam unà cum adnexis externo orificio ac appenſis partibus. In his fervor ac inextinguibilis ille ſtimulus venereus præcipuè reſident. Turgent vaſa ſanguiflua copioſè per cervicem diſſeminata, calidô ac mordaci ſanguine adimpleta. Communicatur acris materia clithoridi, & carunculis myrtiformibus ac nymphis, talemque pruritum excitat.

SECUNDARIUM SUBIECTUM eſt *Cerebrum*: communicatis enim ab uterô præcipuè per vaſa ſanguiflua vitioſis ac putridis exhalationibus, ac vaporibus fervidis, delirium ac furor ſequitur. Ob læſos nervos per ſpinalem medullam etiam vitium cerebro communicari vero conſentaneum.

Delirii verò ſedem eſſe in cerebrô, circa finem *lib. de morbô ſacrô* monſtrat Medicorum princeps *Hippocrates*. εἰδέναι, *inquit*, χρὴ ἀνθρώπους, ὅτι ἐξ οὐδενὸς ἡμῖν αἱ ἡδοναὶ γίνονται, καὶ αἱ εὐφροσύναι,

σῦναι, καὶ γέλωτες, καὶ παιδίαι ἢ ἐντεῦθεν, καὶ λῦπαι καὶ ἀνίαι καὶ δυσφροσύναι, καὶ κλαυθμοί. Καὶ τούτῳ φρονοῦμεν καὶ νοοῦμεν, καὶ βλέπομεν καὶ ἀκούομεν, καὶ γινώσκομεν τάδε αἰσχρὰ, καὶ καλά. τῷ δὲ αὐτῷ τούτῳ καὶ μαινόμεθα καὶ παραφρονέομεν. *Noſſe homines convenit, non aliundè nobis voluptates, lætitias, riſus, & jocos, quàm hinc contingere, itemq́ dolores, moleſtias, triſtitias & ejulatus. Hâc parte ſapimus & intelligimus, & videmus & audimus, & turpia & honeſta cognoſcimus. Eâ ipsâ parte & inſanimus & deliramus.*

Cor cum Diaphragmate ſecundarii ſubjecti vices etiam ſuſtinent. Uterus enim dum fervet, *inquit Somnus*, ad cerebrum, cor & diaphragma vapores pravos mittit, qui fervor omnia mala excitat. Hoc innuit *divinus Senex dict. lib.* περὶ παρθενίων, quando modum, ob quem à ſanguine menſtruo retento hoc malum fiat, explicat, τηνικαῦτα, ſubjungit, οὐκ ἔχον τὸ αἷμα τὴν ἐκροὴν, ἀναΐσσει ὑπὸ πλήθεος ἐς τὴν καρδίαν, καὶ ἐς τὴν διάφραξιν. Ὁκόταν οὖν ταῦτα πληρωθέωσιν ἐμωρώθη ἡ καρδίη. εἶτα ἐκ τῆς μωρώσιος νάρκη. εἶτα ἐκ τῆς νάρκης παράνοια ἔλαβε. *Tunc ſanguis effluvio carens, propter copiam ad cor ac ſeptum transverſum reſilit. Ubi igitur hæc oppleta fuerint, cor obſtupeſcit, indeq́ torpor, ac ex torpore dementia invadit.*

Spermatica ita dicta Vasa ac Testes *muliebres* hîc etiam accuſantur, prout ſeroſa, acris & ichoroſa materia in iis ſtagnans pruritum auget. Reliquis corporis partibus latiſſimè τὸ eſſe ſubjectum competit.

Caput IV

cauſam proximam ſeu immediatam, & mediatas proximiores indagat.

Causa Proxima Et Immediata hujus affectus eſt juxta conſuetam opinionem *calida uteri intemperies*, quæ ubi nimis augetur, novas & accidentales inducit intemperies. Cum enim, ut verbis utamur *Mercati loco ſæpiùs citato*, naturalis appetitus inſurgat mediante calore moderato, ita quoque creſcit idem

appetitus ad penſum caloris adaucti, ſed non cujuscunque, niſi ejus tantùm, qui præter id, quod naturæ modum excedat, con-naturalis etiam factus ſit, & more naturalis appetitum efficiat.

Obſtructionem cauſam immediatam conſtituere non incon-veniens videtur, ipſe enim *Hippocr.* in allegatô librô eò inclinat, dum hoc malum fieri dicit, ſi ſanguis, qui ad uterum fluit, con-tinetur & non effluit, quod certè ab obſtructione, ut cauſa, principali provenit. Idem dein curatio indicat, in qua præci-puè ac principaliter deobſtruentia & aperientia commendantur, certo indiciô, quod obſtructiones præcipuè affectum excitent.

CAUSÆ MEDIATÆ prout vel *proximiores*, vel *remotiores* exiſtunt perpendendæ.

PROXIMIORES in *humoroſas* & *vaporoſas* conſuetâ dis-peſcuntur methodô.

VAPORES acres ac calidi à putredine producti, æquè ute-rum ac ſuperiores partes graviter in hoc affectu perturbant.

HUMORES varii ſunt, qui faciunt ad inducendum hoc ma-lum. De ſanguine menſtruo in vaſis ſtagnante clara eſt mens *Hippocratis*, tàm ſæpè citato *libr.* περὶ παρθενίων, quàm *lib. de morb. mulier.* fusè explicata. Intelligitur hîc ſub ſanguine tota maſſa ſanguinea ex congerie humorum coagmentata, & nunc quantitate, nunc qualitatibus peccans.

A QVANTITATE vitium eſt, ſi, benignus licet, copioſior tamen, quàm par eſt generatur ſanguis, ſtagnat, & per conſue-ta loca non educitur. Ebullit enim ſic facilè, & anguſtis carce-ribus incluſus, ac motu deſtitutus putreſcit.

QVALITATUM exceſſus hîc varii. Accuſantur præcipuè *humores bilioſi*, corrupti ac putridi, in uteri cavitate illiusque vaſis hærentes, copiosè affluentes, qui ibi ſtagnantes mordicant, titillationem atque pruritum procreant. Hinc videmus crucia-ri mulieres malô hôc affectas, etiamſi interdum delectari vide-antur. Alii etiam humores pravi, ſi in uterô diutiùs perma-nentes ſubſiſtunt, putreſcere incipiunt, & malo producendo li-berale præbent adminiculum.

Autores tùm veteres, tùm recentiores nonnullos vitium hoc acredini ſeminis muliebris adſcribere, nos non latet, aſt cùm

cùm ſeminis reverà talis generationem mulieribus adimat recentiorum per Ariſtotelica ac Harvejana fundamenta ac experimenta comprobata opinio, & liquorem maximâ ex parte ſeroſum, ſeminali verò aliquâ ex parte analogum, in vaſis earum, quæ ſpermatica audiunt, ſolùm agnoſcat; nec nos aliter poſſumus, quin humorem talem huc facere dicamus, quatenus ſeroſus nimis, ichoroſus & vi ſtimulandi ac pruriendi immodica præditus, aut putredine correptus.

Licet verò *Platerus* & alii objiciant, ſemen & dictum liquorem in vaſis putreſcere haud poſſe, ſi enim putreſceret, vaſorum potius eroſionem fieri, quàm hoc malum excitari: Dicimus tamen, rationes has non eſſe magni momenti, ſequeretur aliàs, quòd neque ſanguis in venis putreſcere, alienamque qualitatem induere poſſet, cùm tamen in omnibus ferè febribus hoc fieri experientiâ compertum habeamus. Præterea liquor iſte, quem ſemini analogum dicimus, nec purus eſt, ſed ſeroſis & aliis vitioſis humoribus permiſtus.

Occultas qualitates præter manifeſtas jam explicatas in masſâ ſanguinea latere, & abſconditâ vi hoc malum excitare referunt multi. Has potiſſimas agnoſcimus, per quas ex divinæ vindictæ permiſſu dæmon interdum agit. A philtris autem maſſam ſanguineam occulto modo ita diſponi, ut dein ad certum individuum ex infallibili neceſſitate ſe convertat ægra, cui exhibitum, vix defendendum. Partim cùm manifeſtæ qualitates copioſæ talismodi philtris inſint, partim cùm per experientiam notum, philtra talia illicitum amorem excitare ergà multa, quæ obveniunt ſubjecta. Non autem in ſpecie erga individuum, quod exhibuit, extenditur amor, niſi ex accidenti fiat, prout nempe dictum individuum familiare fuit ægræ ante uſum philtri, aut jam morboſæ ſemper ante oculos verſatur, & familiarem ſe ipſi exhibet.

Chimicorum ac ***Hermeticorum*** cauſas hujus mali ſi accuratè inſpicimus, ex reſolutione atque exardeſcentiâ ⊖ & ☿ hoc oriri malum invenimus.

VIÆ per quas æquè vapores ac humores dicti, partim ad uterum mittuntur, & inibi ſtagnant, partim ab eô ad alias defe-

 runtur

runtur partes, variæ ſunt. *Rami* deſcendentes *arteriæ magnæ* Hypogaſtrici dicti prope cervicem uteri copiosè diſſeminati, præcipuè in deducendo hîc occupati. Nec *venæ uterinæ* omnes immunes abeunt, quia ſanguinem vitioſum ſtagnantem attrahunt, & ad cor ac alias partes reducunt, ſic totum corpus infortunii talis particeps facientes.

Nervis delatorii muneris quid concedunt recentiores, prout ſpongioſa eorum ſubſtantia vapores pravos recipiat, diaphragmati præcipuè ac capiti communicet. Nec *lymphatica vaſa* immunia abire veroſimile videtur.

CAPUT V

cauſas remotiores, naturales, nonnaturales & præternaturales ſcrutatur.

CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES ex tribus præcipuè claſſibus peti ſolent, rerum naturalium, nonnaturalium & præternaturaliũ. Hæ ſicuti ad alios non levioris momenti morbos producendos ſuum addunt calculum, ita & hîc illas ſilentii peplô involvere non poſſumus.

EX NATURALIBUS non ultimum ſibi vendicat locum TEMPERAMENTUM *calidum* tàm totius corporis, quàm partium quarundam. Hoc quæ fruuntur, iis venæ & arteriæ fervidiore repletæ ſunt ſanguine. Tale habere virgines nigrioris coloris ſtatuit cum *Mercato, Sennerto* ac *Jonſton. in Ideâ pract. lib. 10. cap. 2. Artic. 3.* & ideò illas præ cæteris huic morbo eſſe obnoxias, judicat.

Nec *humidum*, quatenus acre ac bilioſum, quod multum generat materiæ, pruritum venereum promoventis, excuſabitur.

Diſpoſitio hæreditaria quoque aliquid valet, quatenus exceſſivè calida mater, aut quæ ex uterô maniaca fuit, conſimilem gignit filiam.

Ætate in juvenili floreſcente, ac mediâ conſtitutis virgi-

virginibus ac mulieribus affectum hunc præ reliquis inſidias ſtruere, ſeries autorum confirmat.

RES NONNATURALES nobis ſic dictæ cauſas excitant. Inter illas autem præcipuè occurrit *aer* intensè *calidus*, qui corpus calefacit, humoribus acribus ſtimulum addit, eosque ad fermentationem diſponit, eleganter *Heſiodus & Ariſtoteles 4. problem. 26.* dixere: Florente Scolymo, id eſt, æſtate ſummâ, mulieres maximè ad libidinis œſtrum incitari, quô tempore etiam canes multaque alia animalia hâc ratione efferari conſpiciuntur.

Huc quoque meritò referuntur regiones calidæ. *Herodotus lib. 2. ſcribit*, quod in Ægyptô, quæ eſt regio fervida, mulieres omnes ſint libidinoſiores, adeò ut etiam cum hircis in coitu ſe exerceant, & nullæ ferè caſtitatis amantes inveniantur.

Cibus & *potus* nunc in cauſarum ſerie ſeqvuntur, quæ ſuum quoque ad affectus hujus promotionem afferunt ſymbolum. CIBUS aſſiduus & immodicus *in quantitate* modum excedens venit accuſandus. *In qualitate* ſi fit exceſſus, nocent, quando ingeruntur δύσπεπτοι; deinde qui corrumpuntur facilè & in corpore putredinem ſuſcipiunt, ut ſunt fructus horarii & crudi, ideò etiam omnes flatulenti, quales è tuberoſis, bulboſis & leguminoſis parantur, hîc rejiciendi, ex judicio *Hier. Mercurial. l. 4. c. 10. & Rod. à Caſtro loc. citat.* Tertiò calidi & aromatiſati, ut piper, zingiber, aliaque aromata, itemque qui boni ſunt, multum ſanguinis, materiæque ſeminalis generantes, ut ſunt tubera, teſtes animalium, cardui & alia edulia, quæ ad libidinem excitandam inſerviunt. Tandem dulces, quia utplurimum ſunt benivolentiores, quorum qualitas utero grata videtur, facilè autem humores in eô contentos & conglomeratos commovet.

Potus ad furoris uterini productionem in culpa eſt: ſi nimirum immodicè hauriatur. Illæ enim, quæ temulento cum Baccho litant, affectui huic ob copioſi ſucci generationem, nimiamque ſpirituum agitationem ſunt ſubjectæ. Multum huc faciunt vina generoſa, hiſpanica, rhenana & alia, ſi plus æquô ingurgitentur. Lac ob flatulentiam & copiam ſeroſi humoris cenſuram hîc incurrit. Ab his enim humores in corpore vehemen-

ter agitantur. Romani venerem in vino luxurire omninò ſibi perſuadentes, puellis uſu ejus interdicebant, juxta Poëtam:

Vina parant animos, acuuntq́ libidinis ignes.

Medicamentorum aphrodiſiacorum uſus nimius huc reducendus. Huc philtra ſpectant & ea, quæ juxta quorundam obſervationes ex vino, ambra, moſcho ac borrace copiosè alterato propinantur medicamina.

Somnus τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενος, & in plurimis factus humectat & calefacit, hôc modô ſeminalis liquoris elaborationem promovet, huicque malo opitulatur.

Vigiliæ diuturniores exitioſæ, quoniam humores in corpore adurunt, ſanguinem reddunt bilioſum, docente *Galen. com. 7. aphor. 18.* Decubitum in dorſo multum valere judicat *Caſtro*, cùm in eô renes cum vaſis ſpermaticis incaleſcant.

Motus & *Quietis* limites ſi non obſerventur, malum hoc in theatrum producitur. Κίνησις, ut *Hippocr.* loquitur *4. aph. 14.* τὰ σώματα ταράσσει, *motus turbat corpora.* Et *lib. de morb.* ταλαιπορεόντων ἀνθρώπων σῶμα θερμαίνεται, *hominum laborantium corpus incaleſcit.* A ſaltatione, lignorum ſectione, aliisq; exercitationibus nimiis corpus quoque exſiccatur, ſpiritus diſſipantur, ex quibus non poteſt non inſignis alteratio provenire.

Quies, quò pertinet vita otioſa, non eſt immunis, colligit enim variorum humorum pravorum ſaburram, eamque ad uterum defert. Plus etiam cùm otioſæ ſint, venereis cogitationibus indulgent.

Evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ menſtruæ aliæque ſolæ ſæpè hujus mali mater: Sic *Hippocrates lib. ſæpiùs allegato de morb. virg.* retentum ſanguinem menſtruum cauſam hujus mali eſſe docet. Hoc enim tempore dicit *Mercurialis*, quô menſtrua debent educi, fit magnus ſanguinis ad uterum confluxus, qui ubi fervet, titillat, & propterea hunc ardorem & immodicum coitus deſiderium inducit. *Ariſtoteles* ideò *libr. 7. de hiſtor. animal. 1.* cuſtodiendas eſſe hoc tempore puellas diligentiſſimè

ſimè jubet, quia facilè præ ardore & cupiditate res nefandas & honeſtati contrarias perpetrant. Materia ſeminalis quæ dicitur, ſi ultra temporis ſpatium retinetur, putredinem acquirit, miraque excitat ſymptomata, præcipuè in venerem antè expertis, quâ nunc ſpoliatæ.

Finem imponunt rebus Nonnaturalibus ANIMI PATHEMATA. Præprimis hoc in affectu ira, mœror & triſtitia, quia ſpiritus turbant, humorum vitioſorum colluviem accumulant, occaſionemque haud levem ſuppeditant. Huc quoque cogitationes rebus venereis mancipatæ, laſcivæ loquelæ, impudicæ inſpectiones, obſcœnorum verſiculorum lectiones, & hiſtrionum ſpectacula rejicienda.

RES PRÆTERNATURALES ſunt morbi prægreſſi. Inflammatio uteri, ſuppreſſio menſium, ac alii plures. Ita ab Eryſipelade progreſſa excitatum hoc malum fuiſſe recenſet *Saxon. l. 4. prax. c. 24.* Ab incantationibus oriri perhibetur. Similiter quomodo à ſpectris fiat, oſtendit *Hippocr. loc. ſæp. cit. in principiô.*

CAPUT VI
differentias indagat.

De cauſis nobis dixiſſe ſufficiat, ad DIFFERENTIAS ut acceſſum faciamus, supereſt.

Sumuntur hæ I. à GENERE. Alius enim Furor uterinus eſt *mitior*, in quô ægræ tacitè cogitationibus indulgent, nec ſtatim omnia, quæ appetunt, manifeſtant; Alius *vehementior*, in quô adeò effrenis appetendi licentia, ut rejecto pudoris flamine perpetrare ſtudeant ea, de quibus anteà vix cogitâſſent. Tantum valet interdum erronea ratio, ut temporalis haud rarò quoque æternæ ſalutis bono ſemetipſas privent miſeræ αὐτόχειρες factæ. Hoc exempla teſtantur Mileſiarum, quæ catervatim affectu hoc correptæ ſe ſuſpenderunt, ut & mulierum Lugdunenſium in puteos absque ullâ morâ ſe præcipitantium.

II. SUBJECTI ratione, alius in totâ uteri ſubſtantiâ,

alius

alius ſaltem in partibus quibusdam ſuam habet ſedem. In alio cor ac diaphragma graviter patiuntur, in alio cerebrum potius.

III. A *cauſis*, variæ deſumi poterunt differentiæ. Ita alius à ſolâ uteri intemperie inductus, alius ab aliorum viſcerum erroribus enutritus. Hic potiſſimùm vapores, ille humores pro causâ agnoſcit, quidam ex plethora, alter ex cacochymiâ acri præcipuè ac biliosâ genitus. Alius naturalibus, nonnaturalibus, præternaturalibus alius natales debet.

CAPUT VII
ſigna diagnoſtica conſiderat.

Ad ſignorum fontes ordo nos nunc devolvit, quorum cognitio Medico ſummè neceſſaria, & in curatione non leve præbet adminiculum, docente *Hippocr. lib. de Medico.* Μόνος ἂν ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος εἰκότως ἐπιχειρεῖν, *ſolus is, qui ſignorum cognitionem habuerit, ritè curationem adgreditur.*

SIGNA igitur hujus morbi I. Ratione GENERIS ſunt vel imminentia, vel præſentia. *Imminentis* mali præſagium ex quotidiana imaginatione de virorum converſatione, de exercitiô coitus, de rebus laſcivis, venereis & inhoneſtis loquelâ haud difficulter poteſt inſtitui. Mulieres oculos huc atque illuc torquent, vultumque viris gratum atque acceptum præbent. Nonnullæ interdum triſtes nihil loqvuntur, & præ nimio pudore celare conantur, auditis verò rebus laſcivis, factâque de iis mentione, ſopitæ veluti pendent ab ore narrantis, maximô afficiuntur gaudiô. Si impudici tactûs accedunt, iis non reſiſtunt, ſed lubenter admittunt, ex quibus etiam non minimum perſentiſcunt delectamentum.

Evacuationes conſuetæ ſi ſubſtiterint, faciliùs de imminenti furore judicium ferri poſſe judicat *Mercurialis.* Similiter adventantis furoris ſignum denunciat *Cous 5. aph. 40.* γυναιξὶν, *inquit*, ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει. *Quibuscunque mulieribus ſanguis in mammis colligitur, furorem ſignificat.*

Præſen-

Præſentem quæ indicant, in ipſos incurrunt ſenſus. Obſervare licet tales fœminas inſatiabili ſæpè coitûs deſideriô cruciari, idemque per obſcœna verba ac geſtus inverecundos exprimere, viris ſtruere inſidias, eosque ad explendam libidinem precibus ſollicitare & invitare, quibusvis etiam obviis infimæ ſortis hominibus ſe proſtituere.

Adeſt præterea temeraria garrulitas, vociferatio tumultuoſa, & continua digitorum in pudenda immiſſio, horumque ob nimium pruritum atque titillationem fricatio. Sicuti *Amatus Luſitan. cumt. 97. centur. 6.* talia ſigna in monachâ obſervavit.

His ſuccedunt actiones læſæ. Adeſt perpetuum delirium, difficultas reſpirandi, pulſus mutatio, palpitatio cordis, nimiæ vigiliæ, & tandem mania.

DISTINCTIVA ab aliis affectibus, qui convenientiam cum hoc habent, hîc attendenda.

A *Pruritu* Furor uterinus differt, quòd ab eo diaphragma & cerebrum in conſenſum non trahantur, neque eum furibundum ſequatur delirium. Nec rabida amentia ut in his ita in illis obſervatur, ut omni ſepoſito pudore & verecundiâ, nullâq; honeſtatis lege habitâ, inſatiabili atque inexplebili deſiderio viros palàm inſectentur, aut ſeſe ſuſpendant, flammæ objiciant, aut majoris dedecoris fugiendi ergò in puteos ſe dent præcipites, ut omnia hæc in furore fieri videntur.

A *Salacitate ac Priapiſmo* ſic dicto dignoſci poterit. Hic quidem fœminæ magnam veneris appetentiam ſentiunt, nullum verò deprehenditur delirium, hisque laborantes intra honeſtatis cancellos ſe continent, & in præſentia aliorum venerem coërcentes impudica non proferunt rectâ ratione utentes.

Ab *alio furore* tumor genitalium & præcipuè clithoridis, qui in hoc affectu occurrit, diſtinguit.

A *fervore uteri* diverſus eſt furor uteri, quòd ille à ſolâ uteri calidâ intemperie oriatur, hic verò ab acrimoniâ ſeminalis ita dicti humoris. *autore Sennerto.*

Ab *aliis deliriis* differt etiam furor uterinus, quòd in illis delirantes varia ad rem veneream non ſpectantia cogitent, loquan-

tur & faciant : in hôc verò tota deſipientium mens de venereis perpetrandis ſollicita.

SUBJECTI ratione neceſſarium eſt, *autore nobiliſſimo Rolfincio, P.P. primario, Præceptore & Patrono meo ætatèm devenerando Epit. meth. cognoſc. & curand. affect. part. lib. 3. cap. 22.* diſpicere, an per eſſentiam, an per conſenſum uterus laboret, ut ſciamus. τινὶ μορίῳ χρὴ προσφέρειν τὰ βοηθήματα, *cui parti remedia applicanda.*

Eſſentialiter affectum uterum notant intemperies, καὶ τὰ ἐπόμενα caruncularum myrtiformium, nympharum, clitoridis turgeſcentia.

Per conſenſum ſi aliorum viſcerum affectiones præceſſerint.

Ratione CAUSARUM, an à materiâ ſeminali, ſanguine menſtruô, aliisve vitioſis humoribus affectus hic ortum ſuum hauſerit e, x circumſtantiarum ſedulâ conſideratione innoteſcit. Humorum errata ſi non obſervari poterunt, à vaporibus eſſe conjecturandum. Si ægra ſalax nimis à coitu aliàs aſſuetô abſtinuerit, lauta præceſſerit diæta ad producendum liquorem ſeminalem apta; Si poculis nimis indulſerit, & temulento Deo ſacra patraverit, hisce exceſſibus malum natales debet, quemadmodum ſolam abſtinentiam coitus efficere dicit. *Mercurialis.*

Si Philtri aut aphrodiſiacorum medicamentorum uſus præceſſerit, de malo judicium ferri poterit. Similiter ſi Eryſipelas aut alius uteri affectus ex nimiâ caliditate ortum ducens ægram anteà invaſerit.

CAP. VIII
de ſignis prognoſticis agit.

PROGNOSIN diagnoſi ſubnectere ordo tractandi exigit. Eſt itaque:

SALUTIS & MORTIS ratione I. reſpectu *Generis* affectus ſanè turpiſſimus, ſi tamen adhibitâ diligentiâ ei celeriter ſuccurrat medicus, haud difficulter curatur. Salutis ſpes in eo poſita,

poſita, ſi malum modò per intervalla affligit, & ægræ interdum à rebus venereis, inhoneſtis & impudicis abſtinent. Quò verò ſæpiùs invadit, & diutiùs durat, eò periculoſiùs, & ſæpè in maniam degenerat, unde præ nimiis vigiliis, inediâ, ærumnis tandem contabeſcunt, niſi prius ipſæmet ad interitum ruant voluntarium, ſibi ipſis inferentes manus violentas. Lethalis autem ex ſe non dicendus affectus, quamvis ſit periculoſus.

2. *Subjecti* ratione, quo pauciores partes afficiuntur, eò affectus levior eſt. Si nimis laborent diaphragma, pars reſpirationi dicata & cerebrum, periculum majus.

3. Reſpectu *cauſarum* gravior affectus, à ſeminalis materiæ acrimoniâ qui oritur, mitior à ſanguine & reliquis humoribus. Quamvis autem gravior affectus, ut dicit *Magnificus Rolfincius*, à ſemine, facilior tamen curatu, congreſſu enim & cohabitatione viri ceſſat. Difficilior à ſuppreſſione: difficillimus ab aliis uteri humoribus, obſtructionibus & inflammationibus. A morbis uteri prægreſſis gravibus ſi oriatur, periculoſior.

LONGITUDINE moleſta affectio eſt, ſi ab inflammatione, à menſibus ſuppreſſis, ut & à vitioſis exoraitur humoribus. Seminis corruptioni medetur citò veneris exercitium. Variat tamen hæc longitudo, prout intemperies partium ac ſimiles cauſæ citiùs tardiùsve debellantur.

MODUM EVENTUS quod concernit. Ad *ſalutem* terminatur ſubitâ ſeminalis materiæ, ſanguinis menſtrui, aliorumque humorum excretione, obſtructionum reſeratione, ſi medicamentis adhibitis ſymptomata remittant, & ægra ſe morigeram ac placidam exhibeat.

Ad *mortem* modus eventus erit, ſi dictis contraria contingant. Non terminatur quidem propriè loquendo ad mortem reſpectu ſui ipſius, niſi ægræ violentas ſibimet inferant manus, ſed ſupervenientibus gravioribus ſymptomatibus. Ita ſuperveniente uteri & pudendarum partium exulceratione, debitum fatale ægræ perſolvendum.

Cap. IX
curationem aggreditur.

Hyſteromaniam hactenus vivis ſuis coloribus &moribus depictã vidimus, nunc cognita illius indole ac naturâ ad methodum medendi nos accingamus, illamq; ſecundùm triplicem INDICATIONUM ordinem inſtituamus, curatoriam nempe, præſervatoriam& vitalem.

CURATORIA morbi ipſius eſſentiam reſpicit, ægramque, quantum poſſibile ad priſtinum ſtatum reducit.

PRÆSERVATORIA cauſas morbi depellit. Si uterus laboret intemperie calidâ, ille alterandus frigidis. Si ab obſtructione menſium malum eſt, promoveantur per menſes cientia. Si ab occulta qualitate, tutphiltris, vomitiva non ſunt negligenda, deinde ad alexipharmaca progrediendum. Si à materiæ ſeminalis copiâ, medicamenta adhibenda illam minuentia & extinguentia. Si verò ab illius acredine, illa corrigenda, atque ad mediocritatem reducenda erit. Si ab aliis humoribus vitioſis, fervidis ac æſtuantibus, illi alterandi, digerendi, atque per medicamenta cathartica evacuandi. Si à vaporibus caput petentibus, deliriumque excitantibus, ii repellendi ſunt.

VITALIS vires, ſi malum diutius durat, conſervat, reſtaurat ac auget.

SYMPTOMATUM etiam ratio eſt habenda, & cùm delirium urget nimis, illud mitigandum ac leniendum.

Cap. X
fontem chirurgicum aperit.

Ex CHIRURGIA depromimus illud ἰσχυρὸν καὶ μέγα βοήθημα VENÆSECTIONEM, hôc in affectu maximè commendandam; Hâc enim non ſolùm ſanguis & reliqui admixti humores in uterum influentes revelluntur, ſed influxi etiam copiâ &

quali-

qualitate peccantes, per derivationem evacuantur, & ſic uteri totiusque corporis calor attemperatur.

De *Loco*, in quo vena ſit tundenda, ut ſimus ſolliciti, neceſſe eſt. Si venas in ſuperioribus partibus, bracchiis ſcilicet aperiamus retractionis & ſiſtendæ plenitudinis ergò, ne copiosè per venas & arterias in uterum fluat, non inutile erit. Hoc obſervat etiam *Avicennas*, quando in ſatyriaſi medianam, baſilicam ac cephalicam ſecat. Imò conſilium eſt practicorum primò incidere venas univerſales ac majores, & dein progredi ad particulares minores.

Magnifit à nonnullis ſaphena, circa malleolum internum ob derivationem incidenda.

Tempus ſi perpendimus, ſtatim in principiô morbi illa inſtituenda, modò alia evacuantia legitimè progreſſa, ſi verò id ob varia impedimenta fieri non potuerit, ſequentibus diebus illa non intermittenda, nec diutiùs procraſtinanda, ne immorigeræ factæ ægræ ſalutare hoc præſidium habeant contemtui.

Quantitatem ſanguinis emittendi quod ſpectat; ea ratione individuorum variat. Copioſior ſanguinis evacuatio & iterata, ſi corpus ſit plethoricum, & vires ægræ permittant, proderit, parcior ſi minus ægra plethorica, quam etiam prudens Medicus ad ægram vocatus facilè determinabit.

Si vires nimis proſtratæ ſint, & non admittant phlebotomiam, *Cucurbitulæ* cùm & ſine ſacrificatione inguinibus & cruribus appoſitæ ſuccenturientur, quæ quandoque venæſectionis vice perfunguntur.

HIRUDINES quoque malleolo interno applicitæ non parum promittunt auxilii. Alii ſpecificâ vi uterum vacuare, ſi hæmorrhoidalibus venis ſint appoſitæ, docent.

FONTICULI ſub genu poſiti acrem humorum in uterum influxorum materiam attrahunt, & magnas afferunt utilitates.

FRICTIONES & LIGATURÆ humores fluentes revellunt & intercipiunt, & utiliſſimè interdum adhibentur.

Cap. XI

pharmaceutica auxilia ſub-miniſtrat.

A fonte chirurgico ad PHARMACIAM nunc nos conferimus, quæ æquè vacuantia tàm ſenſibiliter, quàm inſenſibiliter, ac etiam alterantia & roborantia liberaliſſimâ porrigit manu. Commendamus præcipuè *placidè moventia* ac *lenientia*, à quibus omnis inchoanda curatio, tum per os aſſumenda, tum per anum injicienda.

Per OS aſſumuntur ex SIMPLICIBUS, *caſsia ſolut. recent. extract. decoct. prun. dulc. paſſul. min. & major. decoct. tamarind. fol. ſenn. oriental. ſir. ſolut. roſar. de cichor. cum rhabarb. de polypod. fumar. electuar. lenitiv. de pſyllio. manna, extract. diacatholic. croc.* ♂ *aperitiv. crem. & cryſtall.* ♀.

Huc referendæ etiam *Magnif. Rolfincii pilulæ lenitivæ, pilulæ aloëticæ,* ♀*eæ. Schröderi, Pil. angelic. Francofurtenſes.*

Ex his COMPOSITA varia concinnantur,

℞. *cryſtall.* ♀ *albiſſ.* ℈ß.
magiſt. ſcammon. roſ. g. vij.
elæoſacb. aniſ. citr. aa. g. jv.
M. F. Pulvis.
S. Eind Pülverlein auf ein mahl.

℞. *ſer. lact.* ℥iij.
ſir. fl. acac.
violar. aa. ʒß.
eſſent. ♂ *aperitiv.* ʒß.
ſcammon. correct. gr. jv.
M. F. l. a. Potiuncula.
S. Lenitiv Träncklein auf j mahl.

Vel in formâ Boli delicatioribus exhiberi poteſt.

℞. *pulp. caſſ. recent. extract.* ʒj.
extract. rhabarb. gr. vj.
cryſtall. ♀ gr. viij.
elæoſacb. aniſ. gr. iij.
M. F. Bolus.
S. Eind Zucker auf j mahl.

ANO immittenda ſunt clyſmata & ſuppoſitoria,

℞. *Herb.*

℞. *herb. artemiſ. matricar. puleg.*
mercurial. aa. m. j.
fl. chamameli. borrag. ſum. meliß. aa. p. jv.
rad. bryon. leviſt. aa. ℥j.
rub. tinctor. ʒvj.
Coq. in ſ. q. aq. font. coletur. Colatur. ℞. ℥x.
in quibus diſſolve *mell. mercurial.* ℥j.
elect. lenitiv. ʒij.
⊖*is comm.* ʒj.
F. l. a. clysma.

℞. *mell. anthoſ.* ℥j.
M. *hier. picr. c. agaric.*
cochiar. auriar. aa. ʒj.
fell. taur. inſpiſſat. ℈j.
F. l. a. ſuppoſitoria no. ij. illin. ☍ *diacolocynth.*
alligentur filo.
D. in Scatula.
S. Stuel Zäpfflein.

His ſuccedunt PRÆPARANTIA, humoresque vitioſos DIGERENTIA, quibus admiſcenda ſimul obſtructiones reſerantia, & menſtruas ſuppreſſiones cientia.

℞. ▽ *artemiſ. compoſ.* ℥iv. *ſir. fl. calendul.* ℥iß.
eſſent. ♉ *liquid.* ʒij. *meliß.* ʒj.
F. Potio.
S. Digeſtiv Tranck auf 2mahl.

℞. *cremor.* ♀. ℈j.
♀ ⊕*lat.* gr. vij.
⊖ *centaur. min.*
gr. iij.
M. F. Pulvis.
S. Digeſtiv Pulver auf 2mahl.

℞. ▽ *aperitiv.* ℥iv.
ſir. aperitiv. Minder.
℥ij.
eſſent. aperitiv.
♉ *liquid.* aa. ʒiij.
M. S. Digeſtiv mixtur auf etlich mahl.

PURGANTIA his præmiſſis danda, ut uterus ab humoribus liberetur.

℞. Ex

℞. *extract. cathol. Andern.*
panchymag. croll.
aa. ℈ß.
ſcammon. 🜍rat.
reſin. gialap. aa. gr. jv.
c. Tinct. ♀.
F. l. a. pilul. no. xrx.
S. Purgier Pillen auf jmahl.

Vel

℞. *fec. bryon.* gr. vij.
magiſt. gumm. gott. gr. x.
croc. ♂ *apertiv.* gr. vj.
🝆 *mac. gutt.* ij.
M. F. Pulvis.
S. Purgier Pulver auf j mahl.

Si deſiderat ægra purgans in formâ Sirupi, tale præſcribimus:

℞. *reſin. gialap.* gr. xij.
ſir. roſar. ſolutiv. ℥ij.
elix. uterin. croll. ℈j.
S. Purgier Säfftlein wohl ümbzurütteln auf jmahl.

℞. *pulv. rad. gialap.* gr. xv.
ſcammon. roſat. gr. viij.
♀ ⊕*lat.* gr. iij.
conſerv. artemiſ. ʒj.
ſirup. de cherefol. q. ſ.
F. l. a. Bolus.
S. Purgier Zucker auf jmahl.

Si in primis viis humorum peccantium colluviem ſtagnare percipimus cum impetu ad uterum fluentium, VOMITORIA tutò adhiberi poſſunt.

℞. *croc. metall.* gr. v.
cinam. elect. ʒß.
infund. in *ſ. q.* ▽ *hord. l. vin.*
ſtent in loco calido manè col.
& adde *ſir. acetoſ.* ℥iß.
S. Brech tränckloin auf jmahl.

℞. *ceraſ. condit.* no. ij.
exim. nucl. & indantur
fl. ☿ gr. v.
S. Brech Kirſchen auf jmahl.

DIAPHORETICA etiam in ſubſidium medicum hîc vocari poſſunt, quæ inſenſibiliter per ἄδηλον διαπνοὴν seroſâ ſaburrâ reſoluta, humores diſcutiunt & educunt, hâc tamen conditione, ut intra mediocritatis limites ſubſiſtamus, & appropriata iis admiſceamus.

℞. *mixtur. ſimpl.* ℈j.
ſpir. lign. ſanct. ℈ß.
D. in vitrô.
S. Schwitz mixtur.

℞. *bezoard.* ♃. ♂*tial.* aa. ℈j.
pulv. rad. bryon. ℈ß.
CC. Philoſ. ℈iß.
⊖ *card. bened.* ℈ß.
M. divid. in 4. æquales partes.
S. Schwitzpülverlein auf 4mahl.

Nunc

Nunc DIURETICA ſeqvuntur, præprimis frigida hîc conveniunt, à calidis enim facilè uterus accenditur.

℞. ▽ *fragar.* ℥iij. *limon.* ℥j.
ceraſor. nigr. ſolan. aa. ℥j.
ſem. 4. frigid. aa. ʒij.
amygdal. dulc. excort. ℥j.
F. l. a. Emulſio.
S. Harntreibende Milch.

℞. *eſſent. ocul.* ♋ ʒiß.
D. in vitrô.
S. Treib eſſentz.

℞. ⊖*is ononid.*
petroſelin. aa. ℈ß.
D. ad chartam. S. Treibſaltz.

His ſubjungimus ALTERANTIA & ROBORANTIA, quæ ex refrigerantibus atq; ebullitioni reſiſtentibus parari debent, quæ ſimul etiam ſeminalis humoris copiam juxta quorundam ſententiam, imminuunt.

℞. ▽ *lactuc. nymph. roſar. borag.* a. ℥iß.
ſir. è citr. ℥j. *d. nymph.* ʒvj.
eſſent. caſtitat. ʒiß.
ſaccar. ♃*ni* ℈j.
S. Sonderlicher Alterir und Stärck Tranck.

℞. *eſſent. citr. agni caſt.* aa. ʒiij.
S. Sonderliche eſſentz. 40. oder 50. (gutt.

℞. *ſem. melon.* ℥ß.
cannabin. lactuc.
portulac. aa. ʒiij.
c. ▽ *endiv. F. l. a. emulſio. edulcoretur ſir. nymph.*
S. Kühl und Stärck Milch auf etlich mahl.

Ad cor, cerebrum ac alia viſcera reſpectus inſimul habendus.

℞. *conſ. fl. prim. ver. meliſſ. borag. bugloſſ* aa. ʒij.
fl. nymph. calend. roſar. aa. ʒj. *condit. cort. citr.*
ſummit. viticis florent. recent. cond. aa. ℥ß.
ſpec. lætif. Rhaſ. diambr. aa. ʒj.
ſpecific. cephal. Rolfinc. ʒß.
eſſent. caſtitat. hyperic. aa. q. ſ.
F. l. a. Electuarium.
S. Sonderliche Latwerge.

Externa quoque non ſunt poſtponenda.

℞. *ungv. refrig. Galen.*
comitiſſ. aa. ℥ij.
⁂ *rut.* ʒj.
camphor. gr. x.
ſacchar. ♃*ni.* gr. vj.
F. l. a. ungventum.
S. Euſerliches KühlSälblein.

Hucherus tale oxyrrhodinum capiti imponendum ſuadet.

℞. ⁂ *roſac.* ℥ij.
✝ *roſac.* ℥ß.
album. ovi no. 1.
ungv. popul. ʒiij.
camphor. ℈ß.
F. l. oxyrrhodinum.

Ungv. roſac. circa renes & inguina illitum juvat.

Nonnulli *Peſſos* de *mercuriali*, *ſolano* & ſimilibus formatos laudant. Quidam peſſorum loco digitos appropriato quodam oleo aut unguento inunctos ad corrigendã ejus intemperiem utero im̃ittunt.

Balnea & *pediluvia* multarum in profligendô hôc malo ſunt virium.

℞. *fol. lactuc. vitic. ſalic. nymph.* aa. m. jv.
ſummitat. aneth. fl. chamomill. aa. m. ij.
fl. roſ. nymph. aa. m. j. *cap. papav.* no. vj.
glomor. cynosbat. no. iij.
muſc. in tectis ædium reperti. m. j.
D. S. Species zum Bade.

CAP. XII
diætam præſcribit.

Fons DIÆTETICUS paucis nunc proponendus reſtat, qui in ſex rerum nonnaturalium uſu conſiſtit.

Verſetur ægra in AERE purô, ſerenô & frigidô, nullis vitioſis ac pravis vaporibus coinquinato.

CIBUS non exhibeatur multus, nec multi nutrimenti. Vitentur cibi ad flatuum generationem & corruptionem proclives, veluti ſunt bulbi, fructus horarii & legumina. Abſtineant etiam ægræ à cibis ſale nimis & aromatibus conditis. Sed eligant ſibi potius cibum paucum, εὔπεπτον, temperatum, & cum ſeminibus viticis, cannabis, foliis nymphex coctum. Lactuca, endivia & acetoſa hîc multum proſunt.

POTUS ſit tenuis & dilutus frigidus. Vina generoſa, in quibus venus luxuriat, planè ſint prohibita.

MOTUS & QUIES in mediocritate conſiſtant. Equitationes enim, ſaltationes, aliaque exercitia vehementiora damnamus. Otium etiam nimium culpandum, cum deſes vita actionibus venereis ſit mancipata, juxta Naſonem:

Otia ſi tollas periêre cupidinis arcus
Extinctaq; jacent, & ſine luce faces.

SOMNUS ſit moderatus, non ſupinus, neque fiat in plumis mollibus, ſed in culcitris aut linteis, quibus folia viticis & ſalicis ſunt ſubſtrata.

VIGILIÆ

VIGILIÆ ſint moderatiores nec in exceſsû, nec defectu peccantes.

EXCRETORUM decens habenda ratio, *Alvus* ſit ſemper lubrica & aperta. *Menſtrua* fluant ordinatè. *Venus* iis quæ indiſſolubili matrimonii nexu copulatæ, ſuadenda.

ANIMI PATHEMATA, quia humores incendunt atque exagitant, cane pejus & angue fugienda. Evitandæ laſcivæ picturæ, lectiones amatoriæ, converſationes virorum, loquelæ impudicæ, aliaque minus decentia. Sed potius legenda, videnda, & audienda ea, quæ pudorem in animo excitare queunt, & contra libidinis æſtum pugnant.

Atque hæc de *ὑστερομανία* dicta ac ſcripta, quæ pro ingenii modulo proferre potuimus, ſufficiant.

TIBI, TRIUNE DEUS,
SIT LAUS, ET IN SEMPITERNA SECULA
HONOR.

PRÆEXIMIO

HEIMIO

de

felicibus in medico ſtudio progreſſibus

gratulatur

GUERNERUS ROLFINCIUS D. P.P. Senior.

SIcut apes, æſtate novâ per florea rura
exercet ſub ſole labor, cum ſuavia fingunt
mella, favosq; thymo complent: ſic ſedulus erras
per campos medicos, fragrantia germina libans.
Perge ita, nec pulchros ceſſa decerpere in hortis
Pœoniis flores, fructus, atque aurea mala.
Non dubita. Surget tibi mox flos vernus honoris,
ingenuasque comas ambibit blanda corona.

Quæ tacitè genus infeſtat maleſana libido
fœmineum, quod vulnus alit, quo carpitur igne,
HEIMIUS ingenio felix dedit ecce theatro,
magno ſpectatu; colimus quod laudibus usque,
inſtet & in ſtadio curſurus porrò, monentes:
maximus ingenio ſic fiet, & arte celebris.

Laudabiles conatus præſtantiſſimi Dn. Autoris
hisce commendat

PRÆSES.

Furores furibunda quos malignè
matrix virgineæ creet catervæ,
HEIMI, nobile germen Aesculapi,
monſtras, morbifugam manumq; præbes:
Hic, hic egregius labor, tuusque
ſudor virginibus placet; tuumque
percharum Charites & æſtimatum
conatum perhibent: favent Camœnæ,
& ornata Tibi manu polita
ſtudent nectere ſerta: quid ſubinde?
Univerſa Tibi Galenicorum
cohors unanimi ore gratulatur.
Hoc vergat, voveo, Tibi, decori,
nec non fœmineo choro ſaluti!

Sic tenui & volante crenâ gratulabundus applaudere debuit, voluit

JOHANNES Zinck / Medicinæ Doctorand.

SO ſteigſt du rühmlich fort nach deinen Kaſtalinnen/
So ſchwingeſt du dich hin/ hin zu den Parnaßinnen:
Dein Tugend-voller Geiſt fleugt Wolck- und Himmel an/
Biß er erobert hat der göldnen Tugend Plan.
Indeſſen wünſch ich dir das / was der Himmel gönnet /
Und du dir ſelbſten auch zu wünſchen biſt geſinnet /
Nun fahre freudig fort / weil Föbus dich belohnt/
und deinen Nahmen dort zeigt wo Latona wohnt.

Zu ſchuldigen Ehren ſeines wertheſten Hn. Landsmanns und brüderlichen Freundes ſetzte dieſes

Johann Jacob Zinck / B. R. B.